

V c
3827



14 d.

2

I

8

8



14 d. QK. 33 a, 14 d I 359. V c 3827

ELENCHVS LIBELLI FAMOSI,

Qui
INSCRIBITUR:

SECRETISSIMA INSTRUCTIO GAL-
LO-BRITANNO-BATAVA FRIDERICO V.
Comiti Palatino Electori data.



ANNO

M. DC. XXI.



ELENCHUS LIBELLI FAMOSI, QUI INSCRIBITUR:

*Secretissima Instructio Gallo-Britanno-Batava, Friderico
V. Comiti Palatino Electori data.*

HX Loyolici corvi ovo pullum hunc, tam
fœdis calumniis cristatum prodiisse, qui nō
videt, is sponte cæcutit. Exprimit graphicè
Theologiæ suæ, vel potius Thyalogiæ ge-
nium Theologus; Thiologique Jesuitici ingenium
sua Theologia. Convenit, concinitque vir orationi;
oratio viro, sed semifero. Documenta ex reconditis
Loyolitarum myrotheciis, intimisque mysteriis de-
promta, fingit in Sycophantica hac, quam extruxit,
scena, ab eximio quodam Principe, reformatam reli-
gionem professo, tradi & instillari Serenissimo Regi
Bohemiæ; nempe ut si is ejusmodi præceptis imbutus
existimetur, tanquam publici odii victima, non mo-
do Paparum & poparum emissitiis sicis ac secespitis
petatur, sed etiam bonorum omnium, & mysotyran-
norum diris configatur. Operosa hujus libelli confu-
tatione opus non est: Compendio eoque extra omnē
obscuritatis aleam posito, confici res potest.

Commemorat, tragiceque exaggerat hic Histrio
pericula quæ novum Regem circumstant, ac præcep-
ta tanquã amuleta & alexipharmaca ei subiicit, qui-
bus illa vel prudenter vitare, vel etiam in adversarios

A 2 queat



- Aph. 2.* queat retorquere. Suadet igitur Regi Bohemiæ, I. ut statuatur omnes sibi esse perdendos, ne illis quidem exceptis quos nunc potētia suæ adiutores habet, nisi ipse perire, suaq; perdere malit. II. ut nemini fidat, ne cō-junctissimis quidem. III. ut tum demum ad patrandum facinus se accingat, cum adversarii omnes simul capi vel occidi possunt. IV. ut consiliū hoc dissimulet, summoq; studio occultet, tantisper dū illi, velut indagine cincti, uno impetu prosterni, omniaq; eorum bona cum pulvisculo possint converri. V. ut rebus cōstitutis, Lutherāos & Hussitas exterminet. VI. ut regnū Bohemiæ in familia sua stabiliat, & hereditario jure ad posterum transmittat. VII. ut Tiberii exemplo, Proceres, quos hisce molitionibus obstituros, consentaneum est, primū honoribus ornet, deinde securos, aut altiora adfectantes repente opprimat, eorumque morte, vel exilio regnum firmet. VIII. ut aliam religionem profitentes, ac libertatis, quæ regno inimica, amantes, removeat, aliosq; per speciem honoris sumptuosas legationibus, calumniosis litibus alios implicet. IX. ut qui in urbibus autoritate & potentia polent, largitione sibi adjungat, & obnoxios habeat, ipsarū urbes hac arte in potestatem redigat; ex his nō nullas, Julii Cæsar. exemplo, prædæ causā diripiat: ut discordias serat, plebeios cū patriciis committat: spicas eminentes decutiat, &c.

Aph. 34. Hæc, & reliqua ejusdem furfuris documenta, non ex arte politica ut nugatur Sycophanta, sed ex Loyo, & Lyceo deprompta esse, ostendet parallelus testimoniorum syllabus, ex eorum, qui inter Jesuitas familiam ducunt, scriptis contextus.

Becanus Jesuita Moguntinus sic scribit: *Si Lutherana religio*

religio commode impediri & profligari potest, nisi cum majore dā- De fide her.
no Reip. tunc aliquo tempore tolerari poterit. & Pag. 102. Ma- serv. c. 10.
giſtratus Catholicus omnibus modis impedire debet libertatem pag. 89.
Religionis Lutheranae, si tamen id facere non potest sine gravio-
re incommodo boni publici, potest eam tolerare ad evitandum
majus malum.

Hoc suadet Histrio noster Regi Bohemiae, Aph.
26. 28.

Obtonat autem Petrus Ribadeneira, & acerbe in- De Princ.
vehitur in politicam prudentiam eorum, qui utilius l. 1. 6. 15.
esse judicant servire tempori, conniventiaq; & lenitate regnum
(de Scotico loquitur) servare, quam severa animadversione
evertere, Interjectis aliquot paginis, addit: Nullum Re-
gem, nullum Principem esse, cui haec politica ratio potior visa est,
qui non stultitiae & temeritatis gravissimas poenas dederit.

Nempe ut intelligamus, Jesuitam, id est, lutum
sanguine maceratum, non nisi invitum, & ad incitas
reductum, à cruore abstinere, vulpinamq; pellem le-
oninae adsuere. Sic & in comitiis Ratisbonae an. 1603.
celebratis, Commonefactio, Matthiae, fratris Rudol-
phi Imp. vices tum gerenti, exhibita, nihil aliud cre-
pabat, quam non ultra cunctandum, pecuniam ac vi-
tam profundendam, ut Monasteria à Lutheranis oc-
cupata recuperentur; in eumque finem arctiorem
Catholicorum conjunctionem esse ineundam, extre-
maque omnia tentanda, &c.

In Catechismo Jesuitarum haec leguntur: Memine- L. 2. c. 17.
ris quomodo Papa Sixtus IV. Mediceae familiae Florentiam eripe-
re tentavit; Juliano, cum in Ecclesia Missam audiret, trucidato.

Hoc exemplum Catechista ille Catechumenis suis,
ubi res poscit, imitandum proponit: neq; hinc abluat
Histrio noster Aph. 24 30. ubi vel trecentorum proce-

ut
ex-
ple
cō-
an-
nul
let,
in-
um
cō-
eg-
ja-
plo,
sen-
ros,
que
reli-
nica,
um-
pli-
pol-
at, i-
snō-
piat:
ttat:
noia
oyo,
testi-
as fa-
erana
religio

*Instit. Ca-
thol. tit. 4.
6. § 52.*

rum morte aut exilio regnum stabiliendum esse mo-
net. Simancha sic loquitur: *Ad pœnam quoque pertinet,
& odium hereticorum, quod fides illis data servanda non sit.*

*De Rege, l. 7
cap. 6.*

*Pag. 145.
de Pont. Rõ.
l. 5, cap. 7.*

*In Resp. ad
Anticott.,
pag. 55.*

*Thuanus
ib. 39.*

Qui neminem sibi fidum arbitrari jubetur, is pro-
culdubio, nemini ut fidem seruet monetur: quod no-
ster hic passim infusurrae Friderico. Sed quid pluribus
opus? *Qui* reges & supremos Principes à privatis, ex
consilio virorum eruditorum & gravium (quales ho-
die soli Jesuitæ scilicet) rite ac legitime trucidari posse
sciscunt; quemadmodum exserte docet Mariana, iteq;
autor Apologiae pro Jo. Castello, qui putatur esse Frã-
ciscus Verona Jesuita: & Cresuel seu Andreas Philo-
pater, adversus Edicta Reginae Elizabethæ, imo & Bel-
larminus, Jesuitarum primicerius: *Qui* mentiendi ac
simulandi artem non minus studiose & magis serio
quam Naso amandi artem excoluerunt, in quorum
gratiam Martin. Navarrus Azpilcueta Tractatum de
æquivocationibus conscripsit: *Qui* ipsummet Chri-
stum, horresco referens, diabolicæ hujus artis ἀρχιτέκτον
& autoren indigetare non verecundantur, quod faci-
unt Cottonis patroni, cum ajunt, eum quinquiesu-
sum esse simulatione. 1. in Infantia, cum fingebat se
nescire difficultates; quarum solutionem à doctori-
bus petebat. 2. Cum simulavit se fructum quærere in
arbore, in qua nullum esse sciebat. 3. Cum dixit: Sol-
vite hoc templum, quod auditores de Salomonis tem-
plo intelligebant. 4. Cum dixit, Soli Patri extremum
diem esse notum. 5. Cum præ se tulit, se velle ultra
pagum Emaus progredi, &c. (Quasi ex eo, quod Chri-
sti dicta quædam ac facta perperam ab aliis fuere ac-
cepta, colligere liceat, eum qui est αὐτοαλήθεια, viam ad
fraudes, & præstigiolas æquivocationes exemplo &
patro-

pa
qu
lie
su
qu
El
ru
pe
ra
Ba
ca
plu
Re
Op
Au
dif
ne
gis
ra,
na
ric
cho
se,
be,
lun
tiss
re,
alic
cau
lici
oni
adv

patrociniis suo munivisse.) Denique qui è ludo suo tanquam ex equo Trojano alastoras illos emisserunt, Guilielmum Parrium dico, quem Benedictus Palmius Jesuita Venetiis, Hannibal Coldrettus, ejusdem loci atque ordinis, Lutetiæ; plures alii Lugduni, ad cædem Elizabethæ Reginae instigarunt: Eduardum Squirum, à Richardo Valpolo Jesuita ad ejusdem Reginae perniciem ex Hispania summissum: Baldasarem Girardum, qui Principem Auracum interfecit; Petrum Barrerium quæ Varada Parisiensis Jesuita ad obtruncandum Henr. IV. animavit: Qui machinamento plusquam tartareo Serenissimum magnæ Britannia Regem cum Regina, Regia sobole, totiusque regni Optimatibus, inter quos non pauci Pontificii, suffosso Augustali, subjectoque pulvere nitrato, uno impetu diffilare & frustillatim discerpere aggressi sunt; Quos nec DEI metus, nec conscientia morsus, nedum Regis reverentia, aut patriæ caritas, aut posteritatis cura, aut proditionis infamia, à scelere, post homines natos, atrocissimo revocare potuit. Qui nefarios parricidas, meritissimis suppliciis adfectos, martyrum choro, divorum albo inserunt; Qui docent, satius esse, ut quantum est Regum in universo terrarum orbe, male pereat, quam ut vel semel Confessionis sigillum violetur. An obsecro religio his fuerit, ista Secretissimæ Instructionis theoremata ad praxin transferre, Procerum alios morte, aut exilio è medio tollere; alios per speciem legationis amoliri; Oppida prædæ causa diripere; Optimatum fidem largitionibus sollicitare; ærarium in potestate habere; diversæ religionis hominibus insidias & exitium machinari; plebè adversus patricos concitare; lites inter omnes ferere; deniq;

no-
inet,
t.
pro-
no-
ibus
, ex
ho-
osse
tēq;
Frā-
nilo-
Bel-
di ac
erio
rum
m de
hri-
rixlov
faci-
esu-
at fe
tori-
re in
Sol-
em-
num
ultra
hri-
e ac-
m ad
lo &
tro-



deniq; aliud simulare, aliud agere; aliud corde pre-
 mere; aliud ore promere? Quisquis suo, non Elephā-
 ri corio circūtectus est, nec peponem cordis loco ha-
 bet; is non ovum ovo, non lac lacti similis esse ce-
 prendet, quam sunt ista Secretissimæ imo scelerat-
 tissimæ Instructionis documenta, vulgo receptis, no-
 tissimisque Jesuitarum *Κυριακῆς δὲ Ζακῆς* familia. Discrimen
 si quod est, non id in specie, sed in gradu ponendum
 videtur; quando quidem ista, atrocitate & diritate su-
 perantur ab iis, quæ ex Loyolitarum publice prostā-
 tibus scriptis, & vulgo notis facinoribus adduximus:
 non enim ausus est Instructionis hujus consarcinator
 tam cothurnata scelera suis præceptis inferere; nem-
 pe, ut Rex Fridericus, submissis veneficis ac sicariis
 necem machinetur Ferdinando, Alberto, Leopoldo,
 totamque stirpem Austriacam deleat; prius enim
 suadendum, & persuadendum erat Friderico, ut po-
 sito diademate, regiisque insignibus, pullam cum a-
 dunca fibula vestem indueret, & Loyolæ sacramen-
 tum diceret; quando quidem nemo, nisi Societatis
 mysteriis initiatus, tam tragicorum scelerum est ca-
 pax. Interim tamen doli hujus fabricator, dissimula-
 re non potest sanguinariæ suæ doctrinæ indolem, cu-
 jus unguis prominent Aphor. 24. ubi, si simul capi
 vel occidi possint Austriaci, quid tum factu opus sit,
 quid Loyoliticæ sapientiæ Genius, eo temporis arti-
 culo postulet; remotis fucis strophisque, perspicue
 declarat.

Mirum vero quam misere rotet rapterque hoc ge-
 nus hominum Spiritus vertiginis: Quod (accedente
 aliquot Loyolitarum suffragio) cuivis privato licere
 volunt, ut Regem potestate sua abutentem, aut hære-

ticis

ticis faventem, veneno, ferrove perimat: quod popu-
 lo in publicis, liberisque Comitibus congregato, non
 modo licere, sed non sine proditione Reip. infamia ab
 eo omitti posse statuunt, etiam in hæreditario regno;
 id rite factum negant in Electivo: cujus notæ Bohemi-
 cum esse, tam solidis ac luculentis rationibus pridem
 est demonstratum, ut illæ Solis radio scriptæ videri
 queant. Regem vitio creatum, per deformem ambi-
 tum; nefariorum Patriæ proditorum, partim fraude,
 partim vi aperta, obtrusum; pacta conventa, imo om-
 nia divina & humana jura temerare ausum; ipsa re-
 gni fundamenta convellere aggressum; dum illud ex
 Electivo hæreditarium effectum, primum quidem in
 familia sua stabilire; deinde vero ad illū universi Or-
 bis prædonem Hispanum transferre molitur; piorum
 persecutorem immanissimum; Romani Idoli cul-
 torem devotissimum; Jesuiticæ societatis, id est, ma-
 leficæ, & in humani generis perniciem natæ sectæ,
 vindicem ac patronum, aut potius mancipium addi-
 ctissimum; sacrorum Codicum incendiarium; tem-
 plorum non modo lapideorum, sed etiam vivorum,
 Spiritus Sancti habitaculorum, everforem; sepulto-
 rum corporum refossorem ac violatorem; ipsius de-
 niq; regni, cui inhiabat, non rectorē, sed vastatorem;
 Talē inq; Principem, ab iis, penes quos ab omniū retro
 seculorum memoria semper fuit jus eligendi; abdicari,
 summoque omnium ordinum & provinciarum ad
 Regnum illud pertinentium, consensu & concentu,
 alium eligi; immane nefas videtur Loyolitis, quibus
 omne fas & jus, non nisi in summa injuria situm; qui,
 quæ aliis præripere prohibetur, sibi eripi queruntur.
 Tartareas has omnium turbarum incentrices furias

B tar-

pre-
 phā-
 o ha-
 e ce-
 elera-
 s, no-
 men-
 dum
 te fu-
 rostā-
 imus:
 nator
 nem-
 cariis
 oldo,
 enim
 ut po-
 um a-
 men-
 etatis
 est ca-
 mula-
 m, cu-
 l capi
 us sit,
 is arti-
 spicue
 oc ge-
 edente
 licere
 hære-
 ticis



tandem inde exturbatas, bonis omnibus pulcherri-
 mum, reliquis pessimum facinus perpetuo videbitur.
 Nimirum cum reliquarum familiarum, sive religio-
 forum ordinum, monachi, in hanc curam præcipue
 incumbant, adeoque in huuc unum finem instituti, &
 approbati fuerint, ut superstitionem in vulgo alant,
 & hoc pacto Romanæ Ecclesiæ Pomœria proferant:
 eo minime contenti Jesuitæ, toti sunt in temporali
 totius Europæ, imo universi terrarum orbis (si qua
 fata sinant,) Monarchia, vel Hispano, vel Pontifici
 Romano concilianda. Hic ipsorum finis ἀρχιλεκτονικώτατος;
 hoc ipsorum ἔργον: quæ reliqui Monachi agunt, πάρεργα.
 Cætera eorum studia, tanquam media, ad scopum
 hunc assequendum sunt comparata; eam ob causam
 quartum illud, & huic sectæ in quarto modo propri-
 um nuncupant votum, totque extraordinariis Bullis,
 privilegiis & immunitatibus muniuntur, ut non mo-
 do majore soli, quam omnes reliqui Monachorum
 ordines conjunctim facultate ad quidvis audendum
 polleant, verum ipsis etiam Episcopis metuendi vi-
 deantur. Quid, quod ad ipsius Pontificis Romani τῆς
 ἰουδίας καὶ γαλιλαίας cuniculis suffodienda, jam se accinxerunt.
 Hactenus certe solus Papa, quasi in sacrosanctæ Tri-
 nitatis consortium admissus, sibi in terris hoc decus
 vindicavit, *Quod non possit errare*: Idem vero privilegi-
 um nõ solum generalis Societatis Præfectus, sed ma-
 nipularis quivis Jesuita sibi arrogat: Sic enim Apolo-
 gista ille in confutatione Anticotonis: *Jungatur*, in-
 quit, *dies cum nocte, tenebræ cum luce, calidum cum frigido,*
sanitas cum morbo, vita cum morte; tum demum spes erit, Je-
suitæ caput hæreseos fore capax. Igitur totidem deinceps
 habebimus Papas, quod sunt Jesuitæ, nihil que opus
 erit

Anno 611.
 pag. 102.



erit illo, qui è Vaticana arce fuliginosa sua fulgetra
vibrat. Gregarius quilibet Giganteæ hujus societatis
fraterculus, omnia divina & humana jura in pectoris
sui scrinio circumfert. Viderit Pater ille patratu, ne
tandè defolio suo deturbetur à nova hac Titanū sobo-
le: sed & ipsa Societas viderit, ne in ea proscribenda, e-
xemplū Venetorum, quod à Britannis & Batavis ipsis
fuit propositum, imitati sunt nuper Bohemi, Hunga-
ri, Transylvani, Moravi, Silesii, aliiq; saniores populi,
plures deinceps imitentur: Atq; utinam Galli, è flo-
rentissimo regno semel exactā hydram non revocaf-
sent postliminio; staret nō modo Pyramis illa, ad sem-
piternam Loyolitarum infamiam erecta, sed tu quo-
que Regum Augustissime Henrice qui nunc cadaver
es, stares; qui dentem tibi Discipuli sui cultro excuf-
ferant, utinam non & mentem fascino suo tibi ade-
missent. Jam vero nefaria Secta cor quoq; tuū, quod
testamento ei legaveras, perfossum, evulsūque

Abstulit illa; habeat secum, servetque sepulchro,

post Basilicæ, & Cephalicæ hujus venæ sectionem, re-
liquum totius corporis sanguinē jam sitit, paulatimq;
exugit. Spes fuerat Henrico, beneficiis, quæ larga
manu in homines ingratisimos congerebat, eos deli-
nitumiri, ignarus quā sit *ἀνθρώπου* animal Jesuita; fem-
per ad ingenium rediens; cujus naturā ne furca qui-
dem expellas; quanquam id unum perdomandæ feri-
tati remedium efficacissimum, indicant omnes, qui
bus cor, aut saltem pectus sapit. Æthiopem dealba-
re conatur, qui blanditiis, aut poppysmis trucu-
lentissimam hanc bestiam se cicuraturum confi-
dit. Illi demum Magistratus operam dant ne quid
detrimenti capiat Respublica qui funestis vicinorum

exemplis admoniti, filicem hanc, suarum ditionum agris innatam mature exurunt. Minore noxa à profugis scribuntur ac sparguntur Libelli Famosi ac furiosi, quam intra viscera malum hoc movetur; impetigine sua reliqua membra paulatim corripiciens ac depascens.

Agite vero ô Ranæ Apocalypticæ, coaxate, ululate, exclamate, Cœlum, terras, maria Neptuni: illa clamando, mentiendo, calumniando rumpite:

Qualibet in quemvis convicia figite deinceps.

Lessus hic vester, & lugubris exulantium præficarum nœnia, etiam Sycophantica vestra scripta, Serenissimo Regi nostro, bonisque omnibus non minus jucundum erunt ac roama, quam formidabiles erant molitiones illæ, quibus intra Bohemiæ penetralia delitescentes, pestem ac perniciem patriæ meditabimini. Satanicæ vestræ, quas nostris decumano diabolismo ad fingitis, *Instructiones*, non magis nocebuut Friderico Regi, quam viperæ morsus nocuit Paulo Apostolo; cujus exemplo eas in ignem, quem vos quoq; (ni culeum manultis) cōmeruistis, excutimus. Meminit Rex noster, quibus imperet, leges, per quas ad regnum vocatus est, nunquā est violaturus. Novit probe, non omne regnum esse id, quod Græci vocant *παρθενοκρατία*. Scit aliud esse principatum absolutum, legib. solutum; aliud principatum, conditione pacti conventi temperatum; in quo Resp. habet suos Harmostas, Ephoros, Defensores legum, qui partem Principi, partem Patriæ debent. *Fridericus noster* à puero, puro pectore adbibit divinarum legum oracula, & quæ Regis sint partes, quæ Tyrannorum artes, purgato mentis oculo perspexit. Ad hæc, humanioribus literis appri-

me ex-

me excultus, & in historicis omnium gentium nona-
 mentis singulari cum cura & industria versatus, jam-
 pridem didicit, nullum tetrius & generi humano pe-
 stilentius esse monstrum, quam Tyrannum, ex omni-
 um scelerum & flagitiorum cinno conflatum: (Jesui-
 tam si addere voles, non reclamabit.) Utrumque ca-
 ne pejus & angue cum oderit, perridiculus est Secre-
 tissimæ Instructionis architectus, parumq; scenæ fer-
 vire aut foro uti didicit, dum sub Educatoris, præstā-
 tissimi herois, persona, tanquam, in Angelum lucis
 transformatus, ea se documenta propinaturum con-
 fidit, quibus optime tum à natura factus, tum ab in-
 stitutiōe formatus Princeps, veluti Circei poculi hau-
 stu, in Tyrannum mutetur. Quare peregrinum, cui
 os sublinas, vel potius Austriacis tuis, qui non longe
 quærendi, hanc seplasmam vendito. Nimis impingre
 jam diu illi hauserunt spumantem hanc pateram, &
 Babylonio auro sese proluerunt. Lugenda nunc, &
 luenda ipsis hæc amentia. Hinc scil. factum, ut post
 amissum foederatum Belgium, tot jam aliis ditionib.
 integri regnique exuti, in cassumq; superos precati,
 Acheronta moveant; ac nihil propius factum est nu-
 per, quam ut ipsa quoque Austria excuterentur; ne-
 que tamen satis recto, firmo in ea stant talo; immi-
 nentibus Hungaris, Barbaræque diritatis, quam fide-
 les Dei servi in Austria, Styria, & Carinthia, perpeffi
 sunt, poenas exposcentibus. Eorum Regem, *Γεωργίου*, cū
 Secretissimæ Instructionis rhapsodus hoc potissimum
 nomine infamare conatur, quod in Turcæ sit clien-
 tela; non tam Berlemum, quam Austriacos conspuat
 & conspurcat. Ecquid enim aliud hinc colligas, nisi
 hoc unum, puta, plus fidei & præsidii injuratis Chri-

hum
 pro-
 furi-
 peti-
 de-
 lula-
 illa
 fica-
 Merc-
 inus
 erant
 ralia
 aba-
 abo-
 buut
 lo A-
 uoq;
 emi-
 reg-
 obe,
 o. so-
 ven-
 stas,
 i, pa-
 o pe-
 Regis
 entis
 oppri-
 e ex-



Gen. 14. 6. 13

1. Sam. 28.
6. 2.

stiani nominis hostibus reperiri, quam in Austriacis
 hi enim truculentia & immanitate sua, fortissimum
 heroem externa hæc auxilia circumspicere coege-
 runt. Quis enim non malit per Turcas in tuto collo-
 cari, quam ab austriacis jugulari? neque vero pro-
 nus in fidem Christianam peccat, qui cum alienis ab
 ea, foedus pangit, aut societatem coit: nisi ipsum quo-
 que fidelium patrem Abrahamum, cum Amorrhæis,
 foedere & armorum societate cōiunctum, & Sodomæ
 regi suppetias ferentē, atro carbone notet Sycophan-
 ta: cuius exemplum, cur Betlemo minus imitari li-
 cuerit, quam Davidi, Philistæis militanti, causam
 non video: cum præsertim sub Turcico imperio mul-
 to melius consultum sit cōscientiis, quam sub Austri-
 aco & Hispanica. Nulla illic, quæ hic perpetuo fer-
 vet, Inquisitionis Carnificina. Suadet forte alicui
 Turca Mahomætismum; nemini imperat, ut Hispa-
 nus Papismum; neque hæctenus fando auditum, equu-
 leo, aut rogo aliquem fuisse impositum, ob repudia-
 tum Alcoranum, sicuti multas hominum myriadas
 exquisitissimis tormentis consumptas constat, ob fa-
 stidita *non propter quod dicitur* dogmata. Mirum vero, unde tantū
 familiaritatis Sycophantæ nostræ cum purpuratis il-
 lis Sattapis; ut Betlemiliterarū apographa ad ipsum
 miserint: Sed in sulfæ & calumniosæ hæc nugæ, quæ
 admodum solo Loyolitica virulentia Spiritu con-
 finguntur, ita solo inficiationis sibilo confringuntur
 & difflantur: imo suapte contradictione vanescunt.
 Priores literæ summam cum Bassis conjunctionem,
 at mirificum in amplificanda Turcarū potentia stu-
 dium spirat: Posteriores alia omnia; summāq; de Bas-
 sis diffidentia & metum arguunt. Interim vero non est
 cri-

crimini dandum Betlemo, quod cum Turca pacem colat, aut etiã vectigale ei pendat. Conjecta est in hanc necessitatem Hungaria ab ipsis Austriacis, jam inde à Ferdinandi .i. temporibus, cum is dotalium pactorum obtentu, Johannem Sepusium regno illo exutum iret. Tributum pendunt Turcæ, ipsi Impp. à multis jam annis; atiam si id, munus, aut pensionem indigerent, lenitate verbi tristitiam rei mitigante. Est autem festivum ac lepidum, quod rhapsodus noster, aphorismo 13. narrat, Betlemum, si Cæsar ei Hungariam in feudum dare velit, summis virib. annisurum, ut Bohe-mia Austriacis restituatur; quasi non lippis iam & tonsoribus notum sit, proximo Mense Augusto, Cæsarem missis Legatis, datisque ad Betlemum literis, ei regnum Hun. non in feudum, sed cum supremi Imperii titulo ac jure, ultro obtulisse, nihilq; aliud stipulatum, nisi ut ille fœderi cum Bohem. inito renuntiaret, nullisq; deinceps auxiliaribus copiis eos juvaret: quod postulatum generosissimus Princeps averfatus, mori se malle testatus est, quam famã nomenq; suum tam fœda perfidiæ macula inustum, ad posteros trans-mittere.

○ Sed non deerunt suæ Betlemo vindiciæ: Nos id orbi Christiano spondemus ac testatũ volumus, *Serenissimum Regem nostrum Fridericum*, tam procul à documentorum, famoso illo libello comprehensorum, praxi abesse, quum procul à vero & honesto semper abfuit viperina Loyolæ progenies. Assentitur ille optimis Impp. Theodosio & Valentiniano, ita loquentibus: Digna Majest. regnantis vox est, *Legibus alligatum esse Principẽ fateri: & revera majus quiddã imperio esse, legibus submittere principatũ*: A Platone didicit: *Eum qui Legibus servit, Deo servire*. Deo autẽ servire est regnare. Ab Aristotele: *Qui legẽ præesse vult, is vult Deum imperare: qui hominem, is etiam belluã adjungit*. Probat vehementer illud Theodati Gothorum & Romanorum Regis dicentis: *Cum, Deo præstante, possimus omnia: sola nobis licere credimus laudanda.*

Quanta

cis
um
ge-
llo-
oti-
sab
uo-
neis,
mæ
nan-
ri li-
tam
nul-
stri-
fer-
licui
spa-
uu-
dia-
adas
bfa-
antũ
is il-
sum
quẽ
con-
ntur
unt.
nem,
stu-
Baf-
n est
cri-



57 612
No. 3827
16

Quanta fuerit potentia Regum Assyriorum, Babyloniorum, & Medorum, puer olim didicit ex Historia sacra: at illi ne eas quidem, quas ipsi tulerant, leges antiquare sustinebant, ut liquet ex Danielis periculo, quem Darius impense dilectum, liberare cum discuperet; maluit tamen rem Deo committere, quam Legem a se latam refigere. Tantam Religionem si Rex Ethnicus adhibuit, in servanda Lege, quam Aulicorum suorum, qui Danielis splendore urebantur, astu circumventus, tulerat: quando certior nobis est fiducia, *Fridericum*, Christianæ pietatis lacte à teneris enutritum, divinoque munere, nobis datum, omni ope ac studio ad laborandum, ut Legibus illis præferat, sine quibus neque regnum hoc stare, neque regnare ipse posset, facta tecta constet auctoritas; neque post profligatam felicibus auspiciis Loyoliticam excetram, Legibus ac Regibus, juxta infestam, novi Sinones aut Cylopes in hoc Regno succrescant, aut inveterascant, in hoc, inquam, Regno; cujus incolis non prius extorquetur libertas, quam vita, quippe quibus longe difficilius est servire, quam mori: Cur autem mori non malint, qui, nisi Tyrannos pellant, duriora & diriora morte expectant? Gallimachus quidam prælio Marathonensi stans expiravit, si vera est Historia, & dubios reliquit superstites, utrum moriendo vicerit, an vincendo sit mortuus: Bohemi *Friderico* duce & auspice, & vincent vivi, & non jacebunt mortui; de victoria cogitant, de vita minime solliciti: sciunt felicibus esse non licere, nisi qui fuerint fortes. Tibi vero sceleratissime Sycophanta, quem non puduit trium inclytarum nationum, Gallorum, Britannorum, & Batavorum nomina impuro & virulento loliginis tuæ succo perfundere & inquinare; petulantem animam, non militis gladius glorioso prælio, sed carnificis laqueus meritissimo supplicio eripiet. Conclamatae causæ patrocinium non aliud meretur salarium, quam quod olim Germani, Romano cuidam caussidico, ore ejus consulto, recitata prius lingua, persolverunt, cum hac acclamatione: *Tandem vipera sibilare desiste.*

*Flor. lib. 4.
c. 5.*

FINIS.

me

& Me-
e, quas
pericu-
malu-
. Tan-
quam
rcum-
Chri-
nobis
prafer-
posset,
s auspi-
m, no-
ascant,
bertas,
n mori:
riora &
nonenfi
es, utru
ico duce
ia cogi-
nisi qui
non pu-
, & Ba-
rfunde-
lorioso
Concla-
m quod
o, reci-
m-

ULB Halle

004 800 532

3



VDM



14 d.
2
EI

SECRET
L.O.

359.
HVS
LI

CTIO GAL-
ERICO V.

Vc
3827

